

Schütz *de Stat. rei Roman.* P. I. *Diss.* 10. *Th.* 15. *lit. a. p.* m. 687. cum regulae quae majora requirit, tamdiu sit inhaerendum, donec doceatur exceptio.

§. VII.

Sed missis his, non iniucundum fore antiquitatum studiosis credimus, si hac occasione subiunxerimus, antiquis vsitatum in colligendis suffragiis morem, arg. §. 1. *J. de T. O. jung.* Disputat. celeberrimi Dn. Christ. Thomasiae *de primis initiis successionis testamentariae apud Romanos*, Halae anno 1705. habita, qui vsum illius hunc affert, in sterili materia, specimen industriae ostendere. Quamuis constet studium antiquitatis haud omnibus arridere. Et quidem hac in re potissimus tabulae ceratae fuit vsus, (quae eapropter adhibenda, quod papyrus, seu charta, tunc temporis nondum inuenta, vid. Salmuth. *ad Panciroll. rer. memorab. Lib. 2. Cap. 13.* Alex. ab Alex. *Genial. dier. Lib. 2. Cap. 30.* Cardan. *de rer. varietat. Lib. 13. Cap. 64.*) in quam stylo literas infigebant, quem egregie depingit Joan. Sceffer, Profesi. Vpsaliens. celeberrimus, in *Libro singulari de stylo Cap. I.* & auctor Anonymus, qui tamen Harsdörfferus, Patricius Noricus, ab aliis creditur, in *Teutschen Secretario*. Erant autem tabulae variorum generum, v. g. venditionis bonorum, nuptiales, votivae, testamentorum, publicae, privatae, rationum, dati, expensi. &c. de quibus latius consuli poterit Barnab. Brisson. *de formul. Lib. 2. p. m. 133. seqq.* cont. *novae tabulae*, quas sub nomine Agrippae Liberatoris in lucem emisit doctiss. Scheffer in integra quadam *Dissertat.* hac de re edita. Harum quoque tabularum ceratarum vsus non exiguus cernere erat, ad colligenda suffragia, vbi, teste Rosino *Antiquit. Roman. Lib. 9. Cap. 24.* & auctore *de Magistrat. Reip. Ro-*

*De more antiquorum in colligendis suffragiis.*

*per tabulas.*

*quae variae.*

*Earum quoque vsus in colligendis suffragiis.*

B

man,